



Continuatio in hoc libro

- 1 Disputationes 24. In Confessione Auguſt. Hutteni
- 2 Sadnel & unioſoſa nos diſp. 1.
- 3 Arieſocōs breuis de ſarō phyſicō ſuſu ni diſp. M. Fied. 3. Alduini
- 4 Diſp. de ſtō. ſcti tūm ſſora tūm officio. Hofmanni
- 5 Diſp. 1. de Coena Dni. eiq. dūm. aſſerēs tō pōtōy & mūhita
- 6 Diſp. 4. de Coena Dni. Hofmanni. ex cap. 1. Cor. 10. <sup>ſcōp. & ſiſcōm</sup>
- 7 De noticijs Dni & Volūtatij ipſius Hofmanni
- 8 Drey Vnterſchiedli ſchreiben an d. Conſiſtorium zu  
Leyffig, vñg. abſol. d. Sub Exorcismi  
M. Georſij Leyſtanij

Geß

Sammelband

30

DISPUTATIO XIII. 72  
DE BONIS OPERIBVS.

*Ex articulo Confessionis Augustanae Quarto  
& vicesimo.*

*Cujus Theses*

Docente Spiritu Sancto

*Sub praesidio*

LEONHARTI HVTTERI, S. Theolo-  
giae Doctoris, & Professoris publici:

*defendet*

M. JOHANNES HAUSMANNUS  
*Helmbrechtensis V.*

Ad diem 4. Martij, horis locoq; solitis.



WITTEBERGÆ,

Typis M. Georgij Mulleri,

Anno cl<sup>o</sup> Is<sup>o</sup> XCVIII.

*REVERENDIS ET CLARISSIMIS VIRIS, PIETATE, ERUDITIONE multoq; rerum usu praestantissimis,*

D. IOHANNI STREITBERGERO,  
S. S. Theologiae D. & Ecclesiarum in Marchionatu  
Superioris Franciae Superintendenti  
generali,

D. M. NICOLAO GRAMMANNO  
Decano,

D. M. IOHANNI PERCÆ,

D. VITO ALBINO,

*Divini Verbi Ministris, & Consistorij Culmbacensis assessoribus dignissimis & fidelissimis,*

Dominis patronis ac fautoribus suis summa cum observantia  
colendis, hanc disputationem demitise offert  
& nuncupat.

*M. Iohannes Hausmannus  
Helmbrechensis V.*

# DE BONIS OPERIBVS.

## THESIS I.



Iustificacionis nostræ causis, duobus præcedentibus Articulis hætenus expeditis: ad ejus effecta, ordine convenientissimo, transitum nostra confelsio instituit.

### II.

Quemadmodum enim secundum illud D. Augustini, Bonæ opera non præcedunt iustificandum, sed sequuntur jam iustificatum: August. T. 3. de Sp. & lit. c. 26. pag. 587. Et T. 4. c. 14. de fide & oper. pag. 47. Ita eorundem etiam tractatio, ipsius iustificacionis doctrinâ, debet esse posterior.

### III.

Absolvitur autem hujus doctrinæ diexodus duobus etiam distinctis Articulis: Sexto nimirum & vicesimo, ijs de causis, quæ in ἀναλύσει Quarti Articuli fufius fuerunt explicatæ, ac contra Adversariorum cavillationes probè munitæ.

### IV.

Variatio Articulo isti sexto accidit, non quidem in rebus ipsis: Quo nomine leviozem etiam reprehensionem meretur: sed duntaxat in uberiore explicatione earum rerum, quas optima methodo, & brevitate maximè perspicua, prototypus exposuit.

### V.

Quæ prolixitas posterioris editionis, cum non sine causa videri debeat intempestiva: & mutatio isthæc, in libro fidei Symbolico, privata autoritate suscepta, male ominosa sit: succincta prototypi brevitate, in hoc etiam Articulo, meritò acquiescimus.

### VI.

Andreas certe Fabritius Leodius, ansam cavillandi mutuatus ex collatione Prototypi cum posteriore editione, manifestum esse scribit: quomodo tortuosus ille serpens (Lutherani) se volvat, ut venenum olim effusum resorbeat: & quod in priore negavit, in posteriore affirmet.

### VII.

Quæ cavillationes licet facilimè refutari queant: Variatio-

nem tamen illam in tempestivam Ecclesias protestantium varijs  
præjudicijs onerasse, vel inde manifestum est.

VIII.

Etsi verò Articulus iste sub consuetam illam, libri hujus  
διχοτομίας non venit: & perpetuâ θέσει sive affirmativâ constat:  
Interim tamen ex oppositorum contentione, facile de ἀντιθέσει  
& ἑτεροδιδασκαλίᾳ fieri potest iudicium.

IX.

Voluerunt autem Protestantes mera quadam uti ὁμολογηθείᾳ:  
Quia hæc ipsa doctrina de Bonis operibus maximè cum Papatu  
erat controversa, ac nondum tùm iudicata publicè, aut evicta.  
Non igitur locus hic erat sumendæ Iudicis aut Prætoris pote-  
stati, vel ferendæ sententiæ, vel stringendo Anathematis fulmi-  
ni: Sed dicendæ causæ, ac confitendæ suarum Ecclesiarum do-  
ctrinæ. Quas modestiæ & officij partes Confessores nostri, san-  
ctè sibi exequendas esse, duxerunt.

X.

Cæterum perspicua brevitate suam Confessionem de Bonis  
Operibus, hisce verbis proponunt Protestantes: *Docent* (Eccle-  
siæ nostræ) *quod fides illa debeat bonos fructus parere, & quod oportet*  
*bona opera, mandata à Deo facere, propter voluntatem Dei, non ut*  
*confidamus, per ea opera justificationem coram Deo mereri. Nam remissio*  
*peccatorum & justificatio fide apprehenditur.*

XI.

Quatuor distinctis quæstionibus omnem disputationem de  
Bonis Operibus Confessio nostra comprehendit: Quarum pri-  
ma est: An sint faciendæ Bona opera, sive, an ea sint necessaria.  
2. Quæ sint Opera verè bona, & Deo placentia. 3. Quibus de  
caulis eadem faciendæ. 4. Quomodo illa sint præstanda, ut Deo  
placeant.

QUÆSTIO I.

*An faciendæ sint Bona Opera; sive, an ea  
sint necessaria.*

XII.

Romanenses sacrificuli tempore exhibitæ Confessionis,  
palàm ac directè, gladium mendacis linguæ in nostras stringe-  
bant Ecclesias; hodie indirectè eundem contra Orthodoxos  
vibrant,

vibrant, calumniantes: Lutheranorum doctrinam de fide & bonis operibus, licentiam quidvis perpetrandi invehere, & omnis generis sceleribus, non fenestram duntaxat, sed portas bipatentes pandere, uti apud Fabriciū nugatur Monachus à Daventria, pag. 65. a. & Alphonfus Virvesius, Philippica sexta, pag. 143. a.

XIII.

Sed benè habet: Eadem enim sorte fruimur, qua olim Christus & Apostoli: quorum illum Pharisei ideo reprehendebant, quod cum peccatoribus cibum caperet: Matth. 9, 11. Comedonem & helluonem, publicanorum atq; peccatorum socium apud plebem proclamabant, Matth. 11, 19. Hos vero ob eandem doctrinam, iisdem prorsus convitijs proscindebant.

XIV.

Docuerat Gentium Apostolus Paulus, ibi superabundare gratiam, ubi abundat peccatum: Hoc aliqui ita interpretari non verebantur: Manebimus igitur in peccato, ut gratia abundet. Rom. 5, 20. Rom. 6, 1. Item, facienda itaq; sunt mala, ut eveniant bona Rom. 3, 8.

XV.

Respondet ad has cavillationes Christus, sic sapientiam à filiis suis justificari, Matth. 11, 19. Apostolus easdem blasphemias termino indigitare, & damnationis interminatione à se repellere non dubitavit, Rom. 3, 8.

XVI.

Confessio nostra, Articulo vicesimo, insigni injuria suas affici Ecclesias, conqueritur: & quidem haud immeritò.

XVII.

Quod si enim per bona opera intelligunt Pontificij ea, quæ in Decalogo Deus, per singulas hierarchias à se institutas & comprobatas præcepit: tantum profectò abest, ut hæc opera bona prohibeamus, ut diversum luculenter commonstrent nostrorum libri & scripta; item sermones homeletici, & conciones publicæ, in quibus seria atq; ardens bonorum operum doctrina ita personat, ut vel ipsi templorum parietes ac subsellia, innocentie nostræ testimonium abundè perhibeant.

XVIII.

Sin vero Opera bona vocant ea, quæ Apostolus *ἰδελοδρακεία*; Prophetæ, studia ac adinventiones cordis humani;

Scholastici Doctores, opera intentione bona rationabiliter instituta nominant : qualia sunt certæ feriæ , in eorum etiam honorem institutæ, de quibus an in Cælo vel inferno sint, haud injuriâ dubitatur : Item, certa jejunia, Fraternitates, Peregrinationes, cultus defunctorum, Rosaria, Monachatus, & quæ hujus farinae sunt sexcenta alia : hæc libenter fatemur, nos non modo prohibere, sed & in peccatorû atrocissimorû centu numeroq; habere,

XIX.

Et profectò hisce nugis ita Ecclesia in papatu, ceu diluvio quodam fuit obruta, ut verissime criminationem, qua nos proscindunt, in ipsos retorquere, ac jure affirmare queamus, nihil minus, quam veram de bonis operibus à Deo mandatis doctrinam, in Pontificiorum Ecclesijs superioribus seculis sonuisse.

XX.

Testatur hoc concionum publicarum raritas : Exercitij Catechetici neglectio : Studij S. literarum abolitio ; Sententiariorum uugæ & quæstiones non modò non utiles, sed & partim blasphemæ, partim ridiculæ ac pueriles, quibus scholarum pulpita perstrepebant : ita ut miserabilis planè Ecclesiæ superiorum temporum fuerit facies, imo mera vauitas.

XXI.

*Artic. 20.* Restissime ergo nostra infert confessio : Cum doctrina de fide multis seculis in Papatu jacuerit ignota ; & operum electitorum duntaxat doctrina in Ecclesijs versata fuerit : justas & graves antecessoribus nostris fuisse causas, quàm diligentissime in restaurationem doctrinæ de fide incumbendi.

XXII.

Nititur hæc collectio Aphorismo Theologico, quem Confessio sic informat : *Doctrina de fide præcipua esse debet in Ecclesia.* Præcipua, inquit, non (uti Pontificij cavillantur) sola ; ut operum doctrinam non excludi, sed doctrinæ fidei duntaxat subordinari intelligamus.

XXIII.

Rationes Aphorismi istius has recenset Articulus noster : 1. ut Christo Redemptori nostro, ejusdemq; merito debitus in Ecclesia honos constet. 2. Ut conscientijs firma ac certa stare possit consolatio. Rom. 4, 16. 3. Ut discrimen Legis & Evangelij sit conspicuum. 4. Ut ardens, pura & sincera possit esse invocatio : quæ bonorum operum fastus vel prorsus extinguit ; vel in hypocrisis convertit.

His



## XXIV.

His ita Apologias vice, contra Adversariorum criminationes expeditis, facilius est doctrinae nostrae de quaestione ista prima expositio.

## XXV.

Et articulus quidem sextus categoricè respondet, facienda esse bona opera: & quod fides debeat bonos fructus parere.

## XXVI.

Quibus verbis fides comparatur arbori: Bona vero opera fructibus. Vbi igitur fides in homine, ibi tam fieri nequit, ut bonis operibus careat; quam non arbor bona sine fructibus uspiam reperitur. Quemadmodum hanc similitudinem passim scriptura reperit, Matth. 3, 8. & 10, cap. 7, 17. Ioh. 15, 2. Rom. 7, 4.

## XXVII.

Hinc bona opera dicuntur fructus spiritus Gal. 5, 22. fructus poenitentiae, Matth. 3, 8. fructus iustitiae, Phil. 1, 11. fructus ejus, quae è superis est, sapientiae, Iacob. 3, 17. fructus fidei, quippe quae per charitatem est efficax, Gal. 5, 6. & ex operibus aestimatur, Iacob. 2, 17. & 18. haud aliter atq; ex suis fructibus arbor cognoscitur.

## XXVIII.

Liquet ex similitudine ista, opera esse posteriora fide, tanquam fructus arbore: ac proinde opera non praecedere justificandum, tanquam arborem; sed sequi justificatum, veluti fructus.

## XXIX.

Liquet deinde, justificationem nostram non ita esse gratuitam, ut interim libera permessa sit scelerum omnium licentia, Quemadmodum August. recte (haeres. 54.) olim insaniebant Gnostici, Basilides, Aëtius, Eunomius & alij: Quales enim fructus, talis & arbor: & vicissim: si arbor mala, mali utiq; & fructus.

## XXX.

Liquet deniq;, Bona opera non esse ἀνάφωρον quiddam, quod praestitum quidem non improbet: omissum vero non requirat Deus: uti nostro tempore delirarunt Antinomi: sed esse necessaria: necessitate quidem non coactionis, quae in vera pietate locum non habet, ubi gratia Spiritus sancti, spontaneus cultus Deo praestatur Psal. 110, 3. Necessitate item non meriti aut restrictionis ad salutem: Verum necessitate ordinis, mandati & voluntatis divinae: Quam in scholis necessitatem debiti appellare consueverunt.

Et

XXXI.

Et sanè multiplex est, quæ in hoc genere consideranda est necessitas, tum vitandi supplicia ac damnationem; tum firmandæ vocationis atq; electionis, 2. Pet. 1, 10. servandæ fidei, retinendi Spiritus sancti, pacandæ conscientiæ: &c. Verum in his omnibus principatum obtinet debitum, quo immutabili ordine obstricti sumus divinæ voluntati, Rom. 8, 12. 13, 8. Luc. 17, 10.

XXXII.

Neq; vero necessaria sunt bona opera ad salutem, sive ipsum nostræ justificationis actum; id quod disputatione superiore undecima prolixè comprobavimus.

XXXIII.

Abhorret hæc phrasis ab ὑποτιμώσα ὑγιαίνοντων λόγων: & ut Formula Concordiæ piè admonet, simpliciter pugnat cum doctrina de particulis exclusivis, in articulo justificationis & salvationis; quibus particulis D. Paulus opera & merita nostra, ab articulo justificationis & salutis nostræ penitè excludit, & omnia soli gratiæ atq; clementiæ divinæ, & Christi merito adscribit.

XXXIV.

Quin phrasæ illæ, (de necessitate bonorum operum ad salutem) perturbatis & afflictis conscientijs veram Evangelij consolationem eripiunt; occasionem præbent dubitationi de gratia Dei; multis modis sunt periculosæ: præsumptionem & falsam opinionem de propria justitia; & fiduciam propriæ dignitatis confirmant; à Pontificijs acceptantur, & ad ipsorum malam causam fulciendam adducuntur.

XXXV.

Vnde Formula Concordiæ Artic. 4. pag. 684. & ante eam B. Lutherus, hanc loquendi formulam, ut & illam, quod impossibile sit sine operibus bonis salvari: & quod nemo unquam sine bonis operibus sit salvatus; tanquam falsas & erroneas rectissime exploserunt.

XXXVI.

Ejusdem valoris est & illa altera propositio, à Synodo Tridentina, & alijs etiam postea defensa: Quod videlicet bona nostra opera salutem conservent: aut: quod apprehensa fidei justitia, aut fides ipsa per nostra opera, vel ex toto, vel saltè ex parte  
retia

retineantur, ac conseventur. Quam posteriorem opinionem  
gens Iesuitica vel maximè propugnare hodie frudet.

XXXVII.

Neq; enim ullibi scriptura affirmat, quod fides initio  
duntaxat iustitiam & salutem apprehendat: postea vero hoc  
suum officium operibus resignet, ut ea deinceps fidem, appre-  
hensam iustitiam & salutem conservare debeant: Sed contra  
potius fidem vnicum illud medium esse ostendit, quo iustitia &  
salus non modò apprehenduntur: verum etiam à Deo conser-  
vantur.

XXXVIII.

Divus certe Apostolus, non tantum aditum ad gratiam,  
verum etiam quod in gratia perseveramus, & de futura gloria *For. Conc.*  
gloriamur (hoc est, initium, medium & finem) SOLI FIDEI *pag. 686.*  
adscribit, Rom. 5, 1. & 2. Item, propter incredulitatem suam *687.*  
defracti sunt: Tu autem FIDE STAS, Rom. 11, 20. Et co-  
loss. 1, 23. Exhibebit vos sanctos & immaculatos & irreprehen-  
sibiles coram seipso: Si tamen PERMANETIS IN FI-  
DE fundati & stabiles. Et Petrus: in virtute Dei custodimini  
PER FIDEM in salutem 1. Pet 1, 5.

XXXIX.

Neque vero propterea locutionem illam, qua nonnulli  
afferebant; Bona opera ad salutem esse pernicioosa sive noxia:  
Ecclesiae nostrae simpliciter approbant.

XL.

Et si enim inficias ire minimè possumus; si quis bona opes  
ra Articulo justificationis immisceat, in ijs iustitiam ac salutem  
suam ullo modo fundatam censeat: tum opera illa tali homini,  
non modo non fore utilia, atq; ad salutem impedimento: Ve-  
rum etiam pernicioosa. Phil. 3, 8. Non quidem, quod damni huius  
ius culpa in ipsorum bonorum operum natura per se hæreat:  
Sed propter vitiosum accidens, quo fiduciae vanæ ac prohibitæ  
opinio, operibus adscribitur; & honos soli Christo debitus ever-  
titur: Minime tamen fuerit statim consequens, simpliciter, nu-  
dè, absolutè & vere dici posse: Bona opera credentibus ad salu-  
tem esse noxia: cum usum in vita humana, licet non ad salu-  
tem, ad alios tamen bonos fines (de quibus infra) habeant ma-  
ximum.

B

QVÆ-

## QUÆSTIO II.

### *Quæ sunt verè bona opera.*

#### XLI.

Quæ nam sint verè bona opera, Confessio nostra breviter exponit: nempe, quæ sunt mandata à Deo.

#### XLII.

Respicit autem hæc definitio non nudè duntaxat & simpliciter ipsam substantiam operum: ut nimirum tale opus fiat, quod à Deo est præceptum. Hac enim ratione etiam Ethnici edidissent opera verè bona: cum tamen scriptura teste, ea, quippe fide destituta, Deo placere non potuerint. Rom. 14. 24. Hebr. 11. 6.

#### XLIII.

Sed juxta tenorem scripturæ, ea opera verbo Dei præcepta intelligit Confessio nostra, quæ sunt à persona renata, quæ est in gratia: non propriis viribus, sed per Spiritum Sanctum: cum in finem, ut Deo spontaneam præstent obedientiam, ad ipsius gloriam, Ecclesiæ ædificationem, proximi commodum.

#### XLIV.

Non igitur opera verè bona dici vel possunt vel debent, nisi quæ à Deo sunt mandata, sic edicente Deo ipso Deut. 4. 20. 12. 32. Non quod tibi videbitur, facias Domino Deo tuo, sed quod ego tibi præcipio, hoc. TANTVM facias, non addas quicquam, aut demas.

#### XLV.

Et operum istorum Catalogum longè accuratissimum in Decalogo nobis Deus ipse proposuit, duabus distinctum tabulis, ostendentibus quid debeamus tum Deo, tum proximo.

#### XLVI.

Causa efficiens istorum bonorum operum, non sunt vires humanæ, quæ ad bonum prorsus sunt emortuæ, sed Spiritus Sanctus, qui ut quævis dona alia, sic etiam bona opera in hominibus efficit, secundum illud Apostoli. 1. Cor. 12, 11. Omnia hæc operatur vnus idemq; Spiritu S. Et Philip. 2, 13. Deus est, qui operatur in vobis velle & perficere.

XLVII.

Vtitur autem Spiritus S. in efficiendis bonis operibus, voluntate hominis jam renata, non ut merè παθητικῶς subjecto: sed ut instrumento concurrente ενεργητικῶς, non quidem ex naturalibus suis viribus, sed ex gratia & auxilio Spiritus Sancti agentis, & regentis illam, ne qua à recto tramite declinet.

XLVIII.

Formalis verò bonorum operum causa fides statuitur: quæ est quasi anima et spiritus ille vitalis bonorum operum: quo ablente, omnis etiam eorum laus, bonitas & dignitas expirat: Quidquid enim non est ex fide, peccatum est. Rom. 14. 24.

XLIX.

Constituuntur vulgò, & quidem haud perperam duo bonorum operum genera: Vnum internum, nempe voluntas pia, cor renovatum, affectus novi & spirituales: Alterum externum: utpote actiones justæ, in oculos hominum incurrentes.

L.

De operibus, quæ Heroïca nominari consueverunt, sic statuimus, etsi ea expresso Dei mandato non erant præcepta, fuisse tamen opera vere bona, quippe ex fide nata, & peculiari Spiritus Sancti impulsu edita.

LI.

Quæ tamen facta non temere imitanda, nec in exemplum trahenda sunt: nisi quis singulari Dei instinctu ad id se impelli animadverterit: Vbi tamen non incertis conjecturis, non inordinatis affectibus: non Enthusiasticis raptibus: sed certis τικμησις ac indicijs de voluntate Dei opus est.

LII.

Paret ex quæstionis huius decisione, quid de operibus & cultibus humanitus excogitatis sit statuendum: nempe nos eorum, quippe à Deo non præceptorum, observatione minime teneri: Sed tanquam Idololatrias ex ore Prophetarum detestari. 1. Sam. 15, 23. Mich. 6, 16. &c.

LIII.

Adstipulatur nobis Christus, huiusmodi εδιδωκεν κίαις frustra Deum coli, asserens: Matth. 15. 9. Cuius scribit Apostolus Coloss. 2. 22.

B 2

54. Fa-



## LIV.

Faceſſat igitur impius Canon Concilij Tridentini, Pontificis Romani juſſa, præceptis Decalogi: ſtatuta Eccleſiaſtica legibus divinis æquiparans Seſſ. 6. cap. II.

## LV.

Faceſſant nugæ de operibus ex bona intentione ſine Dei verbo excogitatis: imprimis vero execranda amentia, quam in conſtituendis præceptis & conſilijs Evangelicis Sophiſtæ Pontificij audaciſſimè prodiderunt.

## LVI.

Excogitarunt enim illi duodecim conſilia, quæ quis negligens, pœnam non incurrat: Siquidem ad obſervationem ſui neminem illa obligent: ſed ſint ἀδιάφορα & indifferentia: Obſervans vero præmium & coronam mereatur. Qualia ſunt, 1. Paupertas. 2. Abnegatio ſui: hoc eſt Monachatus. 3. Cælibatus. 4. Non retribuere malum pro malo. 5. Patientia injuriæ. 6. Supererogatio operum miſericordiæ. 7. Compescere juramentum & verbum ocioſum. 8. Vitare occasionem peccandi. 9. Prudenter operari. 10. Facere quod doces. 11. Non eſſe ſollicitum de victu. 12. Correctio fraterna. Quod poſtremum tamen intelligendum eſſe voluerunt de peccatis venialibus. Nam de mortali peccato eſſe præceptum obligans ſemper, ſed non ad ſemper, ſcilicet dum utilis videtur eſſe correctio.

## LVII.

Et ſane duodecim iſthæc conſilia aded nolunt eſſe præcepta, noſq; obligare, ut Sorbona Pariſienſis contra Lutherum ſcribere minime dubitaverit, ſi iſthæc pro præceptis haberi debeant: tùm nimis illa fore onerativa Chriſtianæ religioni.

## LVIII.

Sed nugæ ſunt, & mendacia; imo verius blaſphemix, quibus ipſi Chriſto ſalvatori in os contradicitur, qui nullibi legitur duodecim iſthæc capita tanquàm conſilia, & quidem ἀδιάφορα & intermedia propoſuiſſe: ſed ſerò potius mandaſſe & præcepiſſe: id quod ex ipſis concionibus. Servatoris, quas ad gerras ſuas muniendas citare ſolent, vel luce meridiana clarius patet.

## LIX.

Coronidis loco de virtutibus & operibus gentilium, de quibus quæri ſolet, An fuerint bona nec ne, per diſtinctionem  
reſpon-

respondendum esse arbitramur: Fuisse nimirum ea bona, si ipsam substantiam factorum attendas, & opera ratione *φύσιωσ* consideres: Congruiebant enim cum lege naturæ, quæ ipsa quoq; divina est. Mala vero Deoq; displicentia: si personas, si modos factorum, siue operum fines consideres.

### QUÆSTIO III.

#### *Quibus de causis facienda sint bona opera.*

LX.

Pontificij causam, propter quam facienda sint bona opera, statuunt meritum, quo acquiramus justificationem & salutem. Sed quid de isto *ἀνατιφ* sit statuendum, disputatione undecima præcedente fuit abundè demonstratum.

LXI.

Confessio nostra hoc in articulo sexto refutat falsam hanc causam, partim à proprio officio fidei, quod est remissionem peccatorum gratuitam apprehendere: partim testimonio scripturæ Luc. 17, 10. Si omnia feceritis: Dicite, servi inutiles sumus: partim deniq; , auctoritate Ambrosij in princ. Commentariorum in 1. Cor. 1. scribentis: Hoc constitutum est à Deo, ut qui credit in Christum, salvus sit, sine opere, sola fide, gratis accipiens remissionem peccatorum.

LXII.

Cæterum quoad impulsivas causas, Confessio nostra facienda esse bona opera asserit, propter voluntatem Dei, cujus exactissimam descriptionem nobis exhibet Decalogus.

LXIII.

Sunt ergo in initio facienda bona opera respectu Dei, partim ut nostram obedientiam & vitæ sanctimoniam ipsi præstemus, 1. Thess. 4, 7. Partim ut glorificetur pater cælestis ab hominibus videntibus bona nostra opera Matt. 5, 16. partim deniq; , ut aliquo modo nostram pro beneficijs in nos collatis inenarrabilibus gratitudinem declaremus Tit. 2, 11. & 12.

LXIV.

Sunt deinde etiam facienda bona opera respectu proximi, ut eum, si fidelis est, non offendamus 1. Cor. 10, 32. Matth. 18, 6. si infidelis & hostis religionis Christianæ, improbitate ac impietate nostra non magis exasperemus Phil. 2, 15. 1. Pet. 2, 12. 1. Pet. 3, 10.

B. 3

Tertio

LXV.

Tertiò respectu nostri ipsius, studendum bonis operibus: ut de fide vera, in nobis habitante, publicè testemur, Iac. 2, 20. 2. Pet. 1. 8. ut spem, vocationem & electionem nostram certam efficiamus. 2. Pet. 1. 10. ut deniq. iram Dei, & pœnas malis operibus debitas vitemus: Deus enim ultor malorum omnium, 1. Thess. 4. 6. Rom. 8, 13. Col. 3. 6. Contra vero illius retributionis reddamur participes, quæ faciendis bona opera Deus promisit, non in hac tantum, sed & in futura vita. Tim. 4, 8. Psal. 41, 2. Matth. 25, 34.

LXVI.

Quæ tamen retributio non ipsam vitam æternam completur. Hæc enim est donum Dei. Rom. 6, 23. sed gloriam in illa respicit; & gloriæ illius gradus. 1. Cor. 15, 41.

LXVII.

Id ipsum verò gratis etiam, & non ex debito: neq. enim inter retributionem illam, & nostra opera ulla est analogia & proportio; quæ planè foret necessaria, si nostris operibus, ex debito retributionem illam deberet Deus.

LXVIII.

Sunt tandem ipsius etiam Diaboli respectu bona faciendæ opera, ne per impietatem & securitatem hospitium ipsi in cordibus nostris præbeamus: & posteriora nostra deteriora reddantur prioribus, Matth. 12, 45.

QUÆSTIO IV.

*Quomodo faciendæ sunt bona opera.*

LXIX.

Ad hanc quæstionem responderet Confessio nostra primùm affirmatè: Opera bona, ut Deo placeant, ex fide proficisci debere; impossibile enim est placere Deo sine fide Rom. 14, 24. Heb. 11, 6. Deinde negatè: Facienda esse bona opera, ne confidatur in illis, hoc est, ne quis vel superbia elatus, ac operum dignitate inflatus ita efferatur, ut non modò proximum superciliosè fastidiat; Verùm etiam ne quidem coram Deo se humiliet: Vel spem ac opinionem meriti, justificationis & salutis suæ in illis collocet.

LXX.

Placent igitur bona opera Deo, non perfectionis suæ merito,



rito, sed obedientiæ erga voluntatem divinam studio: non confidentiæ propriæ proposito, sed fidei & remissionis peccatorum propter Christum testimonio.

LXXI.

Testimonium autem istud, uti præclare admodum D. Bernardus explicat, Serm. 1. de Annunc. Mariæ, in tribus consistit. Primum ut credamus, quod remissionem peccatorum non habeamus, nisi per indulgentiam Dei. Deinde, quod nihil prorsus boni habere queamus, nisi & hoc dederit ipse. Tum, quod æternam vitam nullis possimus operibus promereri, nisi gratis datur & illa.

LXXII.

Cui adstipulatur D. August. in fine concionis primæ in Psalmum LXX. Tom 8. ubi inquit: Domine memorabor justitiæ tuæ solius. O SOLIVS! Quid addidit SOLIVS, rogo vos? Sufficeret, memorabor justitiæ tuæ. SOLIVS inquit prorsus, ubi meam non cogito. Quid enim habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? Iustitia tua SOLA liberat me: Mea SOLA non sunt nisi peccata.

FINIS.



no, sed obediunt ei, quia in se habent  
libertatem, et non volunt subire  
imperium illius, qui non est  
deus.

Et quia non est deus, non  
potest imperare, sed solum  
regere, et hoc non est  
imperium, sed potestas.

Divina potentia ergo  
est, quae non est deus, sed  
est deus, et hoc est  
imperium, et hoc est  
potestas, et hoc est  
regere, et hoc est  
imperare.

Carolus Rex Romanorum

et Imperator

et Elector

et Princeps

et Dominus

et Imperator

et Elector

et Princeps

et Dominus

et Imperator

et Elector

et Princeps

et Dominus

et Imperator

et Elector

et Princeps

2/1935 a


ULB Halle 3  
001 541 250



56







72

DISPUTATIO XIII.  
DE BONIS OPERIBVS.

*Ex articulo Confessionis Augustanae Quarto  
& vicesimo.*

*Cujus Theses*

Docente Spiritu Sancto

*Sub prasidio*

LEONHARTI HVTTERI, S. Theolo-  
giae Doctoris, & Professoris publici:

*defendet*

M. JOHANNES HAUSMANNUS  
*Helmbrechtensis V.*

Ad diem 4. Martij, horis locoq; solitis.



WITTEBERGÆ.

Typis M. Georgij Mulleri,  
Anno cl<sup>o</sup> l<sup>o</sup> XCVIII.

